






THESES INAUGURALES JURIDICÆ 495

Selecta ex Materia

DE

1688 5. 

TESTAMENTORVM
ET VLTIMARVM VO-
LUNTATVM SOLEMNI
AC MINVS SOLEMNI 21
ORDINATIONE,

QUAS

DEO OPT. MAX. PROPITIO,

Pro Licentiæ in utroque Jure gradu
honoribus ac privilegiis obtinendis

PRÆSIDE

*Venerando Universitatis & Collegij Juridici
Seniore, & hujus h. t. DECANO,*

DN. JOHANNERE BHAN, D.

Cap. Colleg. ad D. Thomam Præpos. Com. Pal. Cæs.

Cod. & Feudal. P. P. Ord. &c.

defendet

JOHANNES MARTINVS GEIGER,

Cæsareomontanus Alsatus.

Die Febr. A. O. R. c1o 1oc LXXXIIX.

— (o) —

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

REIPUBLICAE REGIAE,
CÆSAREÆ MONTANÆ,
MAGISTRATVI
INCLYTO,

VIRIS, *Autoritate, Prudentia,*
Consiliis & Præstantia Amplissimis,

DN. PRÆTORI,
DNN. CONSVLI & CONSV-
LARIBVS,

DN. SYNDICO, Coeterisque
DNN. SENATORIBVS,

patriæ patribus
optimis & benignis

Patronis, Cognatis ac Fautoribus
meis venerandis, honorandis.

Hanc

Inauguralem,
contestandæ Reverentiæ & observantiæ ergò,

Dedico atq; Consecro,

Civis devotus,

JOHANNES MARTINVS GEIGER,
Cæsareo-Montanus.



Proœmium.



Nerimeris, *Lector Benevole,*
 cur antiquissimam hanc, (nam pri-
 mum testamentum Jehova in vete-
 ri foedere; Secundum verò Salva-
 tor noster in novo instituit) *de Testa-*
mentis materiam tractandam mihi
 optârim, cum hodiè plerique re-

rum novarum magis sint avidi & circa has solliciti: Ve-
 rum si cogitaveris, non eadem omnibus placere, sed
 cuique suum velle esse, votoque nec vivi uno, me faci-
 le excusatum habebis. Est enim testamentorum ma-
 teria, uti antiquitate celeberrima; ita usu frequentissi-
 ma, intellectu verò omnium difficillima, non tantum
 in se, sed etiam ratione aliarum materiarum in eandem
 incidentium, e g. substitutionum, legatorum, & fidei-
 commissorum; etiam ratione clausularum salvatoria-
 rum & reservatoriarum, quæ communiter testamentis
 inferi solent: ne dicam de testamentis privilegiatis,
 implicitis sive relativis, nutuvè factis, vel etiam contra-
 riiis, circa quæ sæpè, per crassos Notariorum, (de quibus
 Glossa, quod natent in mari ignorantia) errores, peri-
 culosè peccatur, plurimisque in foro litibus, & contro-
 versis occasio præbetur: quam ipsam ob causam etiam
 me facilè apud bonos veniam impetraturum spero, si



eandem non pro dignitate sua; sed ingenii ætatisque meæ infirmitate tractasse videar: DEUS autem, ut cuncta benè vertat, ardentibus adoro suspiriis.

THESIS I.

CUm satis manifestum sit, in cujusvis dissertationis principio, cum primis ejus rei, quæ tractanda suscipitur, nominis significata enucleari solere ac debere, *l. 1. princ. ff. de Just. & Jur. l. 1. ff. de offic. quest. l. 1. §. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de Reb. cred. l. 1. ff. de furt.* ita quoque materiam testamentorum tractaturus, operæ pretium esse duxi, pariter quædam de vocabulo testamenti præmittere, hujusque derivationem simul & usurpationem breviter ostendere.

II. *Testamentum* itaque à *mentis contestatione* nomen hoc suum sortitum esse, post Servium Sulpicium, quem in *lib. 2. de testam.* hoc tradidisse, testatur A. Gell. 6. N. A. 12. refert Imp. in *princ. Inst. de testam. ord.* non quod vocabulum testamentum sit compositum ex verbo, testari, & voce, mens, mentis; Sed quod ipse vocabuli sonus testationem mentis cuius insinuet. unde etiam *Florentinus Jctus*, ad evitandam hypercriticorum censuram, sic proponit, quod sit iudiciorum nostrorum testatio, in *l. 24. ff. qui testam. fac. poss.* ita ut verbis hisce, non tam nominis, quam rei ipsius definitio contineri videatur. conf. C. J. A. *th. 2. h. 1.* Dn. D. Johan. Rebhan, in *hodeget. Jur. Chart. 3. clim. 2. th. 7.* in primis vero & fusius, in *1. select. quest. testam. 2.* hancque sententiam à DD. communiter esse receptam, testatur Vasq. *de success. creat. in præfat. nam. 28.* Dauth. *tract. de testam.* & qui plures alii. Hinc nonnunquam & *synonymos* exprimitur periphrasi, moderaminis voluntatis. *l. 8. C. qui test. fac. poss. Elogii ultimi. l. 35. C. de inoff. testam.* Supremi iudicii. *l. 14. C. de donat. int. vir. & uxor.* Arbitrii testantis. *d. l. 8. C. qui testam. fac. poss. Legitimæ voluntatis. l. 2. C. commun. de legat.* etiam testamentariæ hereditatis, quam denotat in *l. fin. ff. de honor. possess. secund. tab. l. 14. ff. de his quib. ut indign.*

III. Hinc etiam *usurpatio* vocis testamenti admodum in jure variat: quippe quod (1.) *latissimè & vulgariter* sumptum, omnem & quam-

& quamcunque, maximè scriptam voluntatem significat. Item (2.) late eam ultimam voluntatem, quæ & codicillos in se comprehendit. *cap. 10. X. de testam. §. 3. Inst. de eo cui libert. conserv. arg. l. 6. §. 3. l. 8. §. 2. ff. de jur. codicill.* (3.) propriè verò & strictè eam denotat ultimam voluntatem, quæ codicillis cæterisque ultimis voluntatibus opponitur. §. 1. *Inst. de libertin. l. 2. ff. de iniust. rupt. irrit. l. 1. & seq. ff. & C. qui test. fac. poss. l. 14. 27. C. de test. l. ult. §. 3. C. de codicill. l. 4. §. 5. C. de heret. & Manich. conf. Dn. D. Rebhan, in Hodeget. d. l. th. 7. in fin. ubi plenius ambiguitatem hanc explicat.*

IV. Atque hoc in significato suo proprio definitur testamentum à Modestino in l. 1. ff. qui test. fac. poss. quod sit voluntatis nostræ iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult. Quæ definitio, ne latior suo definito esse videatur, codicillisque, cæterisque ultimis voluntatibus accommodetur, sciendum est, vocabulum, *iusta*, accipi hic pro solenniter, & secundum juris civilis regulas ordinatâ. juxta l. 4. ff. h. r. sicut etiam vocabula, *de eo*, intelligi debere ac si J Crus dixisset, *de omni eo*, ad exemplum *pr. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. 5. C. de Rei vindic.* Ex quibus facilè videre est, testamenta cum codicillis non esse confundenda: licet enim codicillis etiam per fideicommissum hæreditas jure relinquatur, *secund. §. pen. Inst. de codicill.* directò tamen codicilli eadem neque dari, neque adiri potest, neque ullam ordinationis solennitatem requirunt. *d. §. pen. & ult. eod. junct. l. 13. §. 1. ff. de jur. codicill. add. l. 76. ad S C tum Trebell. conf. Dn. D. Rebhan decad. 4. Paralipom. Meierian. 5.*

V. Sanè varia olim fuisse testamentorum genera, docet Imp. in §. 1. & seqq. *Inst. de test. ord.* verum, cum pleraque in defuetudinem abierint, non morabor, sed tantum quædam de divisione, quæ habetur in l. 19. *C. de testam.* dicam, ubi nempe testamentum dividitur in publicum & privatum, quodque illud publica; hoc verò privata constet fide: Item, quod publici duæ sint species, *oblatum* scilicet, & *insertum*, seu actis publicis insinuatum; *Oblatum* est testamentum publicum, quo testator principi ultimam suam voluntatem in scriptis precibus offert, ut ejus fide & auctoritate sustineatur. *d. l. 19. C. de testam.* *Insertum* verò sive apud

acta conditum est, quo testator, coram actis cujuscunque judicis, ultimam suam voluntatem ore tenens, vel scriptis comprehensam sigilloque munitam declarat, & offert, ut actorum autoritate sustineatur. Dn. Besold. 3. *cons.* 126. Dn. Carpzov. 2. *decis.* 147. Dn. Eckolt. §. 5. *h.t.* Dn. D. Rebhan. *d. l. th.* 12. & *seqq.*

VI. *Testamentum privatum* subdividitur in *solenne*, & *minus solenne*. *l. 3. C. de testam.* & id in *super in scriptum*, & *nuncupativum*: Hoc excepta scriptura etiam omnes, quæ ad Testamentum pertinent solennitates requirit. *l. 26. C. de testam.* Hinc Testamentum solenne est, quod legitimis solennitatibus constat. *l. fin. C. de inoff. test. l. 20. § 8. ff. qui test. fac. poss.* de quibus videri possunt §. 5. 6. & *seqq. Inst. de testam. ord.* Ego quædam tantum hic, de testium convocatione referre sollicitus ero: Hæc quatuor desiderat. (1.) *Rogationem: auth. rogati. C. de testam.* (2.) *Idoneam cujuslibet conditionem. §. 6. Inst. de test. ord. l. 1. §. 1. de testib. l. 16. ff. qui testam.* (3.) *Numerum justum, §. 3. Inst. l. 1. l. 12. l. 21. pr. C. de testam.* (4.) *eorum præsentiam. dict. §. 3. Inst. junct. l. 21. §. 2. ff. qui test. fac. l. 21. pr. l. ult. C. de testament.*

VII. *Rogatio* hic nil aliud est, quam præmonitio de causa, cui testes adhibendi sunt: probat id *L. XII. tab.* cujus meminicit *Gellius lib. 19. c. 13.* itaque si casu fortè homines confluxerint, vel alterius rei gratia convocati fuerint, non valebit testamentum, *auth. Rogati. C. de testam. l. 21. C. h. t. l. 21. l. 24. ff. de test. milit.* nisi prius, ad testamentum se adhibendos fuerint certiorati, idque ideo, ut scientes de negotio magni momenti tractari, diligentius attendant, sicque animo & corpore præsentibus sint. *l. 9. 12. C. de testam.* nil tamen interest, à testatore immediatè, an mediatè ab alio, e. g. per Notarium, fiat rogatio, dummodo præsentibus testatore rogati fuerint, tunc enim testator eos rogasse præsumitur. *arg. l. 1. §. fin. si mens. fals. mod. dix.* in dubio tamen rogati non præsumuntur: nulla enim solennitas externa regulariter præsumitur. *l. 13. in fin. ff. de publ. in rem act.*

VIII. Neque etiam sufficit sola rogatio; sed insuper requiritur *idonea singulorum conditio*: undè *fæminæ*, quanquam testamenti factionem habent; ob sexum tamen, ab Eløgiorum testimonio arcentur. §. 6. *Inst. de test. ord. l. 20. §. 6. ff. eod.* Item (2.) *filii* fam.

liusfam. & nepos ratione patriæ potestatis. §. 9. *Inst. h. t. l. 20. §. 1. ff. eod.* quia cum testatore habentur pro una eademque persona. *L. ult. C. de impub. & aliis subst.* & pars quodammodo corporis paterni est filius. *l. 22. §. 1. vers. cum enim pars. C. de agri. & cens.* si igitur patre testante filius testis adhibeatur, videtur adhiberi ipse pater: & vice versa, contra *l. 10. ff. de testib.* ita enim more majorum comparatum est, ut in minimis etiam rebus homines amplissimi, de re sua non dicant testimonium, teste Tullio pro *S. Rosc. Amerin.* Utrum autem filius emancipatus testis esse possit in testamento patris? & vice versa, videri potest *C. J. A. ib. 12. n. 4.* & *Dn. D. Rebhan, in Paralipom. Mejerian. decad. 4. quest. 6.* (3.) hæres etiam meritò remouetur à testimonio dicendo, ob negotium testamenti, inter eum & testatorem actum. §. 10. *Inst. h. t. l. 20. in pr. ff. eod.* repræsentat enim hæres personam defuncti: at quis non absurdum dicat, eundem sibi ipsi testimonium perhibere. *l. 10. ff. de testib. l. 10. C. eod.*

IX. Numerum justum Septenarium quod attinet, solennitatis, non fidei ergò, & olim, & hodiè necessarium Impp, voluerunt. §. 2. & seqq. *h. t. l. 21. C. eod. l. fin. C. de fideicommiss.* & passim in jure, facit *Const. Imp. Maximilian. 1. Aug. tit. vom Testament §. und sollen. Colon. in Comitii anno 1512. publicata,* qua de, hujusque ratione fusius *Dn. D. Rebhan. 2. Select. testam. Quest. 1.* Statuto tamen vel consuetudine numerum hunc minui faciliè concesserim. *arg. l. 9. C. h. t. vid. Myns. 5. obs. 20. num. 1. & 2. Gail. 2. obs. 123. Grassus. §. Testamentum. quest. 54. n. 22.* Sic de jure Canonico, testamentum coram Presbytero & duobus, vel tribus testibus à Parochiano conditum ualere, communis est DD. traditio, per *cap. cum esset. 10. & cap. relatum. 11. X. de testam.* ratio, quod juxta verbum Dei, in ore duorum, vel trium stet omne verum. *Deut. 12. Matth. 18. & Joann. 8. cap.* qua de controversia videatur *Dn. D. Rebhan. dict. l. in fin.*

X. Sequitur denique tertium, præsentia: nam omnes in conspectu testatoris officio testimonii fungi debent. *l. 9. C. h. t.* idque ideò, ne fraus aliqua committatur §. 4. *Inst. de test. ord. l. 21. pr. ff. eod.* adeo ut tempore nocturno, absque luminibus, vel velamento inter testatorem decumbentem, & testes interposito,
testa-

testamentum conditum nullius sit efficaciam, dict. *l. 9. C. h. t.* quamvis nulla sit dubitatio, quin & noctu testamentum ordinari queat. *l. 22. § 6. ff. h. t.* modo id non fiat in tenebris, cum enim alienam vocem imitari facillimum sit, tutius erit, si testes testatorem presentem ipsi videant & audiant.

XI. Præmissis sic testamentorum solennium requisitis, ad minus solennia progredi animus est: inter quæ primo loco refertur, testamentum parentis inter liberos, de quo in *l. 21. §. 1. C. de testam. Nov. 107. cap. 1. & 2. Const. Imp. Maximilian. I. Aug. Colon. anno 1512. tit. von Testamenten. §. und sollen.* (2.) Rustici. *l. ult. C. h. t.* (3.) tempore pestis conditum. *l. 8. C. eod.* (4.) in Regione privilegiata factum. *l. 9. C. d. t.* (5.) ad pias causas *arg. cap. 11. X. de testam.* (6.) denique testamentum militare. *de quo in ff. lib. 29. tit. 1.*

XII. Testamentum parentis inter liberos est, quo parens disponit de eo, quod post mortem suam fieri velit, nulla extranea persona hærede instituta. *l. 21. C. de test. l. fin. ff. fam. Hercisc.* vid. *Gail. 2. obs. 112. Hartm. Hartm. 2. tit. 38. obs. 3. Wurms. 1. tit. 32. obs. 5. n. 2. Myns. 5. obs. 28. Köppen. 1. obs. 112. n. 20.* parentis autem nomine hic veniunt parentes utriusque sexus, ac cujuscunque gradus. *dict. l. 21. C. h. t. Nov. 107. in præfat.* ita ut patrem & matrem, avum & aviam aliosque superiores in se comprehendat. *l. 51. ff. de v. s. l. 4. §. 2. ff. de in jus vocand.* ratio est, quod matris hæreditas non minus quam patris liberis debeatur, adeoque eodem favore digna censeatur. *arg. l. 15. pr. ff. de inoff. test. l. 7. pr. ff. de bon. damnat.* vid. *Dn. Carpzov. part. 3. consl. 4. def. 15.* & hæc ultima voluntas etiam sine scriptura, coram duobus testibus exposita, valet. *auth. quod sine. C. de test. Nov. 107. cap. 1. Maul. tr. de ult. volunt. tit. 11. num. 19.*

XIII. Affinis testamento parentis inter liberos esse videtur *divisio paterna*, qua parentes in modum legati liberis assignant, quid ab intestato venientes accipere debeant. *l. fin. C. fam. ercisc.* nec titulum institutionis honorabilem requirit; sed sola sufficit scriptura, aut si tenor divisionis aliena manu conscriptus sit, tantum patris subscriptio. *Nov. 18. cap. 7. & auth. si modo. C. fam. ercisc.* in divisione tamen omnium bonorum ratio habenda est. ne

ne ullus liberorum prætereatur, alia ut ex causa divisio non subsistat, e.g. si non unusquisque ex liberis tantum capiat titulo quocunque, quantum ratione legitimæ ipsi debetur. *l. 30. 32. C. de test.*

XIV. *Testamentum Rustici* est quo ultima voluntas rustici, vel ejus qui majore parte temporis ruri habitat, coram quinque testibus, si plures haberi nequeant, declarata sustinetur, per *l. fin. C. de test.* vid. *Const. Imp. Maximilian. I. Colon. Anno 1512. publicata. tit. von Testamenten. §. und sollen. Ant. Fabr. 6. Cod. 5. defm. 25. n. 1. Carpzov. in Jurisprud. forens. 3. const. 4. defm. 30.*

XV. *Testamentum tempore pestis* conditum etiam inter testamenta quibus numerus septem testium remissus est, à nonnullis recentetur, numerumque testium quidam ad quinque, alii ad tres, vel duos fide dignos restringunt, imprimis in casu gravis & lævæ pestis, ex ratione quam urget Gail. 2. *obs. 118. num. 9.* ut nempe afflicto testatori succurratur, hujusque ultima voluntas conservetur: grassante enim ejusmodi contagione in domo testatoris, ipsometve testatore morbo contagioso correpto, decumbente, nemo inficias ibit, ejus consortium omnes homines maxime fugere, & domum talem ingredi, à præsentis periculo deterri hactenusque prohiberi, ut ita ipsa æquitas & necessitas exigat testatoribus casu hoc subveniri. *l. 7. in pr. ff. de restit. in integr.* tum quia tempus pestis comparatur bello, quo Deus cum hominibus quasi militat. Gail. 2. *obs. 118.* Myns. *cent. 1. obs. 96.* accedit quod hoc testamentum quoque valeat post intermissionem pestis, quamdiu testator in eadem voluntate perseveraverit. vid. laud. Carpz. *part. 3. const. 4. defm. 5.* ad differentiam testamenti militaris, quod post missionem intra annum tantum valet. §. 3. *Inst. de milit. test. l. 21. 26. ff. l. 5. C. h. t.* verum cum hæc controversia intricatior sit, quàm quæ à me in hisce pagellis expediri possit, etiam plerique DD. Cæsaream hic decisionem & provisionem postulant, & præstolentur, arbitror tutius esse, in dubio in hære regulæ juris, & sanctioni Imperatoriæ, in *l. 8. C. de test.* & si qui casus specialis contingat, ubi circumstantiæ aliud suadeant, hoc justis Judicis arbitrio relinquere. conf. Dn. D. Rebhan. *d. 2. Select. testam. Controvers. 4. & in Paralipom. Meyerian. decad. 4. Quest. 10.*

B

XVI. Te-

XVI. Testamentum ad pias causas est, quo testator adhibitis ad minimum duobus testibus piis causis, vel locis hæreditatem suam relinquit, quales causæ sunt (1.) Hospitalium l. 22. C. de S.S. Eccles. l. 32. 35. C. de Episc. & Cleric. (2.) causa alimentorum l. 21. C. de S.S. Eccles. l. 14. §. 1. ff. de alim. & cibar. legat. pauperibus relictorum, aut iis qui famem patiuntur. dict. l. 21. C. de S.S. Eccles. (3.) causa denique studiorum, in auth. habita. C. ne filius pro patre.

XVII. Ultima species testamentorum minus solennium est, Testamentum militare, quod est ultima voluntas militis scriptura, vel notis. l. 15. ff. de milit. test. vel coram ad minimum duobus testibus absque ulla alia solennitate celebrata. l. 1. ff. h. r. miles enim arma potius, quam leges scire præsumitur. vid. d. Const. Imp. Maximilian. 1. anno 1512. promulgaram. tit. von Testamenten. S. und sollen. l. 22. ff. de jur. delib. nec dubitandum jus hoc etiam num nostris his temporibus militibus competere. Gail. 2. obs. 118. in pr. num. 2. Græven. 2. conclus. pract. 118. Mynf. 5. Respons. 26. num. 9. Cardinal. Mantic. tract. de conjectur. ult. volunt. tit. 1. n. 3. Dn. D. Rebhan. in Paralip. Meyerian. 5. Quest. 1. quamvis uti olim, ita etiamnum non indistinctè hic testandi modus quibuscunque militibus concessus sit, sed iis demum qui in expeditione, aut in castris sunt. pr. & §. 3. Inst. & l. pen. C. h. r. & ubicunque imminens periculum est: quibus adnumerantur limitanei, stationarii, qui propter subita pericula & excursions hostium in expeditione esse videntur, cum in armis procedant adversus hostem, eumque persequantur, seu imminentem expectent intenti ad opportunitatem rei gerendæ, vel ut invadant, vel invadentem sustineant aut propulsent: hinc si paganus vel quis alius in hostico, & prociectu reperiat, jure militari rectè testatur. l. fin. ff. h. r. l. un. ff. de honor. possess. ex test. milit. non verò competit hoc privilegium prædiciariis & vigilibus urbium, qui procul à finibus hostium sunt. arg. pr. Inst. h. r. l. pen. C. eod. neque iis, qui stipendiis in pace & otio fruuntur, nec iis, qui hinc inde vivunt, & nulla armorum occupatione distringuntur. §. 3. Inst. l. fin. C. h. r. Conferatur Dn. Carpzov. in Jurisprud. forens. part. 3. const. 4. desin. 26. n. 4. C. J. A. th. 3. n. 2. Dn. D. Rebhan. in Paralip. Meyerian. supr. quest. 5.

XIIX. Expositis quibusdam testamentorum divisionibus eorumque requisitis, nunc ad *causam eorum efficientem* propere-
mus, quæ est, vel *remota*, vel *propinqua*, vel *proxima*: *Remota* est
jus gentium: licet enim testamentum qua tale omnem vim suam
ex jure civili habeat. Dn. D. Locammer. *Quæst. Justinian.* 215.
negari tamen non potest quod testamentum ut sic considera-
tum, ubique etiam gentium sit receptum, & quasi à naturâ infi-
tum, ut quis, tum aliàs, tum supremâ suâ voluntate posteritati
suæ consulat, & prospiciat: exempla habentur in sacris & profanis
historiis, & facit Apost. Paul. inductio in *Epist. ad Galat. 3. vers. 15.*
Item in *Epist. ad Hebræos. cap. 9. vers. 15.* D. Tertull. 1. ad *Uxor. 1.*
D. Ambr. 3. *offic. 9.* Cicero *lib. de finib. 3. ibi.* ex affectione hac
humana (qua satagimus consulere etiam his, qui aliquando futuri
sunt) ortas esse, dicit, commentationes morientium, etiam te-
stamenta. facit etiam (1.) *tit. Inst. de L. fus. Canin. rollend.* ibi. satis in
humanum. (2.) quia deportati possunt hæredes institui à milite.
l. 13. §. 2. ff. de test. milit. qui secundum jus gentium putatur testa-
ri. *§. 1. Inst. d. t.* Causa *propinqua* est *jus civile* vetus, & novum,
scilicet quoad solennitatem: unde vocabulum, *justa*, in definitio-
ne denotat voluntatem solennem, juxta *l. 4. ff. qui test. fac.* Causa
proxima est ipsa testatoris voluntas, institutio enim hæredis non
aliunde dependere debet. *l. 23. 68. ff. de hered. instituend.* Blandi-
tiæ tamen non fraudulentæ non obstare, indicat. *l. 70. ff. eod. l. fin.*
C. si quis aliu. test. junct. l. 21. C. de test. milit.

XIX. *Subjectum activum* cum causa efficiente suo modo
coincidit: hinc factum est, ut testamenti factio referatur hodie
inter ea, quæ sunt ex genere prohibitorum; h. e. talium, quæ re-
gulariter cuilibet permessa sunt, ex certis tamen causis, certis per-
sonis lege, vel edicto non permittuntur: (idem enim est non
permitti, quod prohiberi, vetari. *Rubr. Inst. quib. non est permis.*
fac. test. l. 1. ff. de tign. junct. cum l. 6. ff. ad exhib.) hinc cuilibet per-
missum est testari. *l. 43. pr. ff. de vulg. & pup. subst. l. 1. ff. ad Leg.*
falcid. l. 120. ff. de V. S. l. 1. C. de S. S. Eccles. conf. Const. Imp. Fri-
deric. II. Aug. §. omnes peregrini. de statut. & consuetud. nisi expressè
inveniatur prohibitus: prohibitos autem antiquitas sequentibus
includit versiculis, quos refert Sichard. *ad tit. C. qui test. fac. poss.*

Testari nequeunt Impubes, Religiosus,
Filius in sacris, morti damnatus, & obses,
Prodigus, & Stultus, dubius, servus, furiosus,
Crimine damnatus, cum muto, surdus, & ille
Qui Majestatem laesit, sic caecus & ille:

XX. Impuberes §.1. *Inst. quib. non est permiss.* l.5. l.19. *junct.*
l.4. *C. h. t.* quia nullum eorum animi est iudicium. (2.) Reli-
giosi. *auth. ingressi. C. de S. S. Eccles. Nov. 5. c. 5.* quia omnia à se
per votum abdicarunt, & rerum suarum Domini amplius non
sunt: cui tamen derogatum videtur per *Nov. 123. c. 38.* qua Mona-
chus testari potest, relicto tamen monasterio portione virili
auth. si qua mulier. C. de S. S. Eccles. Magnific. Dn. Schrag, patronus
atq; preceptor meus omni honoris & obsequij cultu statem pie prosequen-
dius. (3.) filiusfam. ita ut ne quidem patre permittente testari
queat. *pr. Inst. quib. non est permiss.* vid. *Consultiss. Dn. D. Schilter,*
Exercit. ad Pandect. 25. §. 13. & seqq. exceptis pecuniis castrensi, &
quasi castrensis in quibus jus patrisfam. habet, atque hactenus de
illis testari potest, l.2. *ad Scitum Macedonian.* An vero etiam de pe-
culio, quod vocant, adventitio pleno? vid. *Dn. D. Rebhan. in Pa-*
ralip. Meyerian. decad. 4. Quæst. 8. (4.) capite damnati, l. 8. §. ult. ff.
qui test. fa. poss. quod tamen moribus hodiernis non observari
testatur *Carpzov. tract. crim. part. 3. quæst. 135. num. 20. & seqq.*
(5.) obsides. l. 11. ff. *h. t.* quia captivis comparantur. l. 21. ff. *de jur.*
fisc. (6.) prodigi, quia ut ad actus civiles celebrandos post de-
cretum iudicis sunt inidonei. l. 6. ff. *de V O.* ita quoque testamen-
ti factioe privantur. §. 2. *Inst. quib. non est permiss.* (7.) mente
capti, sive dementes. l. 2. l. 17. ff. *h. t.* (8.) de statu tuo dubitantes
sive nescientes, an sui vel alieni juris sint. l. 14. 15. ff. *eod.* (9.) ser-
vi. l. 16. & 19. ff. *h. t.* (10.) furiosi. §. 1. *Inst. dict. tit.* quia absenti-
bus, & ignorantibus comparantur in l. 7. *de jurejurand.* quod
tamen intelligendum de illis, qui perpetuo sunt furiosi (11.) mu-
ti, & surdi quamvis non nisi sub distinctione. l. 10. *C. qui test. fac.*
(12.) caeci, nisi observent solennia l. 8. *C. h. t.* de cæteris videri pos-
sunt DD. ad hunc tit.

XXI. *Subjectum passivum* constituunt omnes, cum quibus
est testamenti factio, §. 4. *Inst. de hered. instit.* scilicet qui jus ca-
piendi

piendi ex testamento habet. *dict. §. 4. §. 6. Inst. de test. ord. l. 16. pr. §. 1. ff. qui test. fac.* qui autem hoc jure privantur? videri possunt DD. & C. J. A. *th. 4. & seqq. de hered. inst.* ne tamen illos sicco pede præteriisse videar, brevitatis causa, unicam tantummodo quæstionem proponere placuit: *an scilicet ipse Princeps hæres institui possit?* ambigunt quidam; verum, cum nusquam prohibitus Princeps reperitur, cur institui hæres non possit, non video, ex fundamento. *l. 27. C. de test.* quod enim prohibitum non est, cur stare prohibeatur? modo institutio non fiat litis causa. *§. fin. Inst. quib. mod. test. infirm. l. pen. ff. de de hered. instit.* ubi Imperatorem litis causa hæredem institui, invidiosum esse asserit Paulus **I**Ctus.

XXII. *Objectum* seu materia circa quam, testamenti est in genere, ut ex definitione apparet, omne id, quod testator post mortem suam fieri vult: *in specie* verò sunt universæ res testatoris, tam mobiles, quam immobiles, corporales, & incorporales, futuræ & præsentis: quia nemo paganus pro parte testatus, pro parte intestatus decedere potest, per *l. 7. ff. de R. I.* hæque ipsius propriæ, non alienæ: quamvis de his legare. *§. 4. Inst. de legat. fideicommittere possit. §. 1. Inst. de singulis reb. per fideicommiss. relict.*

XIII. *Forma* pro diversitate testamentorum varia est: alia enim essentialis, alia accidentalis: alia testamenti solennis propria, alia omnium communis: testamenti solennis propria solennitates sunt, quæ habentur in *§. 3. & seqq. Inst. de test. ord. l. 21. pr. l. 28. C. de test. l. 21. §. fin. ff. eod.* Communis omnium testamentorum *forma*, & essentialis *interna* est *hæredis institutio*, quæ adeo necessaria est, ut sine hac ne quidem testamenti nomen mereatur, quæcunque alia ordinatio, ne dicam, quod quidpiam in eo tanquam testamento non valeat; unde etiam hæredis institutio caput & fundamentum testamenti dicitur in *§. 34. Inst. de legat.*

XXIV. *Forma accidentalis* conspicitur in differenti hæredum institutione, eorumque qualitate, & differentia. vid. *Mynsing. ad pr. Inst. de hered. qualit. & differ.* institui enim possunt hæredes vel unus vel plures. *§. 4. Inst. de hered. inst.* numerus enim hære-

B. 3

hære-

hæredum instituendorum est civiliter infinitus. §. 6. *Inst. b. l.*
 Item purè, vel sub conditione. §. 9. *Inst. eod. tit. ff. de condit.*
inst. vid. l. 54. ff. de acquir. hered. l. 28. ff. de stip. serv. l. 138. ff. de R. l.
 modo non sit impossibilis. §. 11. *Inst. de hered. inst. l. 1. l. 14. l. 20.*
ff. de condit. inst. l. 3. de condit. & demonstr. l. 104. §. in testamento. ff.
de legat. 1. l. 16. in fin. ff. de injust. rupt. irrit. hoc jus in testamentis
 non simpliciter, sed post longas demum altercationes obtinuit.
l. 3. ff. de condit. & demonstr. arg. l. 50. §. si non 1. ff. de hered. insti-
tuend.

XXV. *Finis* testamentorum est, ut certo constet, quid te-
 stator post mortem suam fieri velit. *Wesemb. in paratit. ff. h. e.*
num. 12. ut suprema ejus voluntas, & reliqua in testamento dis-
 posita impleantur. *Nov. 1. pr.* illaque tanquam lex servetur. *Nov.*
22. c. 2. prohibitio testatoris similis sit prohibitioni legis. *l. fin. C.*
de reb. alien. non alien. modo non repugnet legibus aut bonis mo-
 ribus: nemo enim in suo testamento cavere potest, ne leges in eo
 locum habeant. *l. 55. ff. de legat. 1.*

XXVI. *Effectus* testamenti jure facti nec infirmati dici possunt
 actiones ratione illius competentes, quatenus enim testamen-
 tum modis acquirendi universalibus accensetur. §. *fin. Inst. per.*
quas. pers. nob. acquir. eatenus hæredi, bonorum possessori, & fi-
 deicommissario universali, hæreditatis petitio, & fideicommissaria
 hæreditatis petitio tribuuntur. *tot. tit. ff. & C. petit. hered. tit.*
ff. de posses. hered. petit. junct. ff. de fideicommiss. hered. petit. compe-
 tunt etiam remedia possessoria, ut interdictum quorum bono-
 rum. *de quo tit. ff. & C. quor. bonor.* *Condictio ex lege fin. C. de*
edict. Div. Hadrian. toll. Quatenus verò testamentum, secuta
 scilicet hæreditatis aditione, est quasi contractus, inter hæredes
 testatorem repræsentantes, oritur actio famil. *ercisc. l. 20. ff.*
fam. ercisc. obstringitur quoque hæres fideicommissario uni-
 versali, & actione personali ex testamento tenetur, si quid inte-
 grè non restituerit. *vid. Wesemb. ad tit. ff. de fideicommiss. hered. pe-*
tit. imò legatariis obligatur, quibus tres competunt actiones,
 actio scilicet ex testamento, Rei vindicatio, & hypothecaria. *l. 1.*
C. commun. de legat. non tamen omnibus ad persecutionem uti
 licet; sed unam ex his sibi magis commodam eligere. *l. 76. §. 8. de*
legat.


legat. 2. Ortus denique effectus est hæreditatis acquisition, ita, ut omne jus defuncti, omnes actiones, quæ illi, & contra illum competebant in hæredem transeant. *l. 8. l. 37. & seqq. ff. de acquir. & omitt. hered.* nisi cum eo extinctæ fuerint, ut actiones meram vindictam personalem, non interesse patrimoniale persequentes, quia non fuerunt in jure defuncti ante litem contestatam, quod tamen limitatur, si lis cum defuncto contestata fuerit, aut aliquid ex dolo ad hæredem pervenerit. *§. 1. in fin. Inst. de perpet. & temporal. action.*

XXVII. Testamentum jure factum usque adeò valet, donec rumpatur irritumve fiat. *§. 1. Inst. quib. mod. test. infirm.* quod contingit, vel ex defectu personæ testantis, vel solennitatis, vel hæredis institutionis, vel si omninò instituendi, aut exhæredandi nec instituti, nec exhæredati sint. *§. 4. & seqq. Inst. de test. ord. l. 4. l. 19. ff. qui test. fac. poss. l. 1. ff. de hered. petit. l. 4. C. de Jur. & fact. ignor.* fitque ipso jure, vel officio judicis: ipso jure, ruptione, vel in irritum deductione. *pr. Inst. quib. mod. test. infirm.* Rumpitur autem testamentum (1.) agnatione sui hæredis. *l. 28. §. 1. ff. de injust. rupt. irrit.* (2.) posteriore testamento ritè condito & perfecto. *§. 2. Inst. quib. mod. test. infirm. l. 1. §. 1. de bonor. poss. secund. tab. l. 4. ff. de adim. legat.* Irritum fit testamentum, si testator capite minuatur, *§. 4. Inst. h. t. l. 8. §. 3. de jur. codicill.* Ejus qui ab hostibus capitur, fit quidem irritum. *l. 6. §. 5. ff. h. t. recipit tamen vires suas, si redierit, jure, quod vocant, postliminii; secus verò si ibi decesserit, ex Lege Cornel. dict. l. 6. §. 12. l. 22. pr. de captiv. §. ult. Inst. quib. non est permih. l. 3. §. 6. de bonor. possess. l. 28. de vulg. subst.* Mediante officio Judicis scilicet per querelam inofficiosi, quæ datur in primis liberis utriusque sexus. *§. 1. Inst. de inoffic. test. §. 5. de exhæred. liberor. l. 3. ff. de inoffic. test. l. 15. C. eod. tam natis, quam posthumis, l. 14. ff. de lib. & posth. l. 13. ff. de injust. rupt.* (quæ jura per Nov. 115. correctæ non reperiuntur) tam legitimis & naturalibus simul, quam legitimis tantùm, puta adoptivis. *§. 1. Inst. de inoff. test.* Item legitimatis. *l. 10. & seqq. C. de natural. lib. auth. licet C. eod.* naturalibus tantùm contra testamentum matris; durat enim jus sanguinis, quia mater semper est certa. *l. 5. ff. de in jus vocand.* concessa quoque est hæc querela parentibus. *l. 15. ff. de*

ff. de inoffic. test. imò etiam certis casibus fratribus, & sororibus utrinque conjunctis, si scilicet turpes, vel infamia notatæ personæ sint institutæ. §. 1. *Inst. de inoffic. test.* l. 21. l. 27. C. eod. prædictæ personæ ad querelam inofficiosi admittuntur, daturque contra hæredes, qui ex testamento hæreditatem adierunt. l. 20. *ff. de bonor. poss. contr. tab.* neque refert, qualis conditionis, quantumvis Imperator. l. 8. §. 2. l. 31. §. 1. *ff. de inoff. test.* ut autem hæc querela locum habeat, oportet quem à totâ legitimâ esse exclusum, aliàs competet ei condictio ex lege, ad supplendam eam. l. 30. 36. C. de inoffic. test. Ipso jure nulla sunt testamenta, quibus solennia juris requisita desunt, & improprie testamenta appellantur. in l. 2. §. 1. *quemadm. testam. aper.* ex quibus nec legata, nec fideicommissa debentur. l. 17. *ff. de injust. rupt. irrit. fact. test.*

XXIIX. Tantum de testamentorum effectibus, eorumque contrariis: circa affinia verò, cum de illis jam supra, ubi de testamentis minus solennibus actum, mentionem fecerim, diutius menon detinebo. Sed tantum pauca de codicillis, qui proxime ad testamenta accedunt, proponere licebit; Sunt enim codicilli eorum, quæ in testamento testatoris de sunt, supplementum, ex sententia Hermenopoli *lib. 5. tit. 7.* quæ vera, si ad initium respicias, nam primum codicilli non nisi ut pars, & sequela testamenti recipiebantur, *pr. Inst. de Codicill.* l. 10. *ff. eod.* postea verò etiam per se recepti sunt, ita quidem, ut testamenti vicem exhibeant. l. 16. *ff. dict. tit.* minimè tamen simpliciter sunt recepti, sed ut peculiari tantum eis liceat disponere modo, non verbis civilibus, & directis: §. *codicillis. Inst. h. t.* l. 10. *ff. l. 7. C. eod.* sed tantum præcariis, aut per fideicommissum, l. 2. C. h. t. l. 4. C. de his qui ut indigni, quod si liqueat testatorem codicillos, non testamentum condere voluisse, verba institutionis directa torquebuntur ad fideicommissum, & ex fideicommissum poscetur hæreditas. l. 76. *ff. ad Scutum Trebellian.* l. 2. §. *fin.* l. 13. §. 1. *ff. h. t. l. fin. C. eod.* idque in testamentis tum demum contingit, si oratione explicatum fuerit, per clausulam nempe codicillarem. l. 1. *ff. h. t. l. 41. §. 3. ff. de vulg. & pub. d. l. fin. C. h. t.* Essent adhuc alia, quæ loco affinium huc referenda forent, verumtamen, cum de istis supra mentio facta fuerit, animus non est hîc iterum ea repetere, atque lectorem nimiam

nia prolixitate defatigare: Hæc itaque de intricata, & perdifficili testamentorum materia propoluisse sufficiant. Nam finem huic exercitio imponere tempus, & ingenii vires monuere: si quid enim perperam & positum, & concinnatum deprehendatur quisque pro intellectu, aut scientiæ facultate & promptitudine benevole emendet, omissa suppleat, meaque imbecillitati condonet: Intereâ tibi DEUS Opt. Max. pro præstito hæctenus consilio, & auxilio ago grates, gratiasque habeo immortales: annue porro conatibus meis, ut in nomine tuo suscepti ad Nominis tui Gloriam vergant.



COROLLARIA.

I.

Si vectigal, non factio Domini, sed vectoris, Navitæ, Mulionis, aurigæ dolo defraudatum sit, res fisco in commissum cadit.

II.

Divisio actionum in bonæ fidei, & stricti juris, & arbitrarias rectè se habet.

III.

Contractus Arrhalis rectè inter contractus veros refertur.

IV.

Mulier renuncians portioni in bonis acquisitis, vigore statuti Argentinensis, tam illata, quam acquisita jurato indicare tenetur.

V.

Inter bona acquisita referuntur etiam vestimenta, exceptis paucissimis, quæ statutum præcipere permittit

C

impen-

impensæ necessariæ, meliorationes, & quæcunque
augmenta bonorum illatorum.

VI.

In computatione bonorum alienatorum vulgò
der Ergänzung / deducuntur acquisita quibus mulier
locupletior facta fuit.

VII.

Bona autoritate Judicis creditoribus addicta, & in
solutum semel accepta debitor revocare nequit. l. 8. C.
de distr. pign.

VIII.

Communia sunt quæ singulorum non sunt, §. 6.
Inst. de Rer. divis. imò, quæ singulorum sunt, pro parti-
bus sunt communia. tot. tit. ff. commun. divid.

IX.

Cuilibet res sua servit, imò, nulli res sua servit. l. 26.
ff. de servit. præd. urb.

X.

Quod quis non abstulit ejus nomine fur non est,
imò, fur est, quod quis reliquit nec abstulit. l. 21. §. fin. ff.
de furt.

Ad

Præcellentem

Dn. Candidatum disputantem.

Dum Geigere hominum suprema Elogia tractas
Excutis, & Legum nodos, obscuraque sena
Haud aliter mihi, quam novus Orpheus esse videris,
Nam tibi sunt sacræ sacrata Digesta, Novellæ

Et

Et Codex Lyra, quam dedit alma Themis tibi Leges
Suntque fides, quorum discors tam sæpè putatur
Esse sonus, Geiger/ nisi concordare nouisses
Sic Leo, sic Ursus, Tigrides, sic litis amantes,
Mansuescunt apri, sic iræ flumina cursum
Sistunt, sacros dum non audire recusant
Justitiæ modulos, quos tu novus Orpheus edis.

*Pauca hac in sempiterni amoris, ac amicitia tesse-
ram Dn. contubernali, & quondam com-
mensali suo, currenti calamo con-
scribere voluit*

M. O. Scheffmacher, J. U. L.
Kientzhemio Allata.

Præcellentè

DN. JOANNI MARTINO GEIGER,

U. J. Cand.

Industrio, fautori suo, & amico devotè venerando.

De Testamentis

In Academia Argentoratensi publicè feliciterque
pro gradu licentiæ disputanti.

*N*uper eras solitus vigil impallescere chartis
Ingenuasq; Deas, jurasq; sancta sequi:
Quies posses meritis conscendere rostra cathedra
Et specimen cultus edere grande tui.
Exactis tandem fortuna laboribus omnèis
Ipsa immò faustum Numina sacra beant.
Ut qua cepisti laudanda negotia vergant
Ad finem, & laudem Numinis assiduam
Testamentorum formas Martine revelas
Perg, theses paucas, dicere multa vales

C 2

Dogma

*Dogma tuum verum solido contexere nexu
Niteris egregius serviet ingenis.
Geiger Palladia decus immortalæ coronæ
Jovis amor, gentis gloria, Regis honos,
Delicias charites se dicunt phæbus amorem
Te musæ florem, te pietasq; jubar.
Quam vellem Themidos ceu tu secreta revolvis
Ceu solvis docta, lemmata nota fide
Sic mihi, jus mihi fas facili distante Minervas
Promptius in laudes ire redire tuas.
Gratarer meritum virtutis & artis honorem
Gratarer patriæ spemq; fidemq; tuæ.
Sed componenti sterili peregrinus Apollo est
Nec venit ad votum prompta Camæna meum.
Opto tamen pergas, semperq; addictior esto
Nobilibus mediis sic potes ire viris.*

*Devoti sui animi commonstrandi
causâ ponebat*

*Joannes Alexius Kirtzer,
Trevirensis, J. U. Stud.*

Sic tibi dignus honos tandem clarissime Geiger,
Provenit ex studiis, quem dedit alma Themis
Scilicet in stadio vicisti juris & æqui
Atque Brabæa capis digna labore tuo
Gratulor inde tibi sincero corde precorque
Ut porro crescat fama, salusque tua.

*Hac
Nobilissimo DN. CANDIDATO
contubernali suo, atq; fautori testanda
sincera amicitia ergo adposuit*

*J. W. Müller / Berchachiensis Francus
J. U. Stud.*


ULB Halle
006 681 956

3



V077






B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



SALES JURIDICÆ 495

Materia

1688 5.



NTORVM

RVVM VO-

SOLEMNI

SOLEMNI 21

TIONE,

X. PROPITIO,

roque Jure gradu

legiis obtinendis

IDE

is & Collegij Juridici

b.t. DECANO,

EREBHAN, D.

m Præpos. Com. Pal. Cæs.

P.P. Ord. &c.

det

TINVS GEIGER,

nus Alsatus.

Id Idc LXXXIIX.



TORATI,

RIDERICI SPOOR.

